

nebatur Moses, improbare synagogas non potuit, idque tanto minus, quo ipse eas diligentius, secundum consuetudinem suam, Luc. IV, 16. frequentavit. Ceterum, vtut *cathedra, proprie talis*, hic intelligi non possit, non improbavit tamen morem Phariseorum, e cathedris docentium. Docebant autem in his nunc *stantes*; nunc *sedentes*: *stabant*, dum legent; *sedebant*, dum lectas exponerent pericopas. Mosis tamen scripta plus, quam prophetarum, & horum vicissim plus, quam reliqua aestimabant, ita, vt si quis etiam *sedendo Esther librum legisset*, id ei non verteretur vitio, quod in prioribus fieri non licebat. Vtut itaque sessionem non proprie talem intelligat Seruator, procul tamen dubio ad ritum Judaeorum, sedendo docentium, habuit respectum, quem ipse suo exemplo Luc. IV. comprobavit, surgens, dum legere; confidens, dum interpretari incepisset. Huc pertinent etiam alia loca Matth. XXVI, 55. Joan. VIII, 2. Luc. II, 46. & alia. In rebus tamen, praeter ordinem gestis, consuetudo non fuit observata, conf. Act. XIII, 16.

§. II. Haec nobis argumento esse possunt, *externa sacra, & ritus, nihil vitii habentes, & ab ecclesia receptos, non temere improbandos esse*. Omnia enim *κατὰ τάξιν, εὐχρημοσύνην, & οἰκονομίην* ecclesiae esse debent. Hinc, ad Judaeorum imitationem, ecclesia N. T. etiam, antequam Constantinus M. templa gentilium, in usum Christianorum, conuertisset, priuatas domos, & minus ornatas, ad sacra exercenda, habuit. Patres, apostolorum exempla imitati, vtut frequenter steterint, dum verba facerent, sedebant tamen etiam quandoque, teste PALLADIO, *in vita Chrysostomi*. Quod vero ad ritum legendi publicum, non primus eius meminit CYPRIANVS, sed diu ante eum IVSTINVS, & TERTULLIANVS: ille Graecus *in Apol. II. sub fin.* hic Latinus in *Lib. de Praescript.* Inter legendum, tanta reuerentia verbo Dei habita semper fuit, vt, si euan-